

peccatis, & blasphemia manifesta fieri solet, & quasi cogens, & violentiam inferens ad sententiam profertendam, prævenit auditorem, dicens: *Quid adhuc egenus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam.* Quæ autem fuit illa blasphemia? Etenim ante cap. 22. (1) eis congregatis dixerat: *Dixit Dominus Domino meo; Sede à dextris meis:* & interpretatus est eis, & siluerunt, nec de cetero contraxerunt: qualiter ergo nunc quod dictum est, blasphemiam vocant? Sequitur: *At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis: ipsi accusantes, ipsi discutiens, ipsi sententiam profertentes.* *Origenes* (tract. 35.) Quantum putas fuit erroris, ipsam principalem omnium vitam ream mortis pronuntiare, & per tantorum resurgentium testimonia non respicere fontem vitæ, de quo in omnes resurgentes vita fluebat? *Chrysostomus* in hom. 86. Ut autem (2) venatores fera inventa, ita suam monstrabant ebrietatem, & insaniam ferebantur.

Sequitur: *Tunc experient in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt.* *Hieronymus* (hoc loco.) Ut completeretur quod dictum est *Isai. 50. De-* di maxillam meam alapis, & faciem meam non averti à confusione spatorum.

Sequitur: *Alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Glossa* (ordinaria.) In contumeliam ei hoc dicitur, qui se Prophetam haberi voluit à populis. *Hieronymus.* Stultum autem erat verberantibus respondere, & prophettare cadentem, cum palam percutientis insaniam videretur. *Chrysostomus* in hom. 86. Attende autem, quod Evangelista cum summa diligentia ea quæ videntur esse exprobratissima exponit, nihil occultans, aut verecundans; sed gloriam existimans maximam, dominatorem orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Hoc autem legamus continue, hoc nostræ menti inscribamus, & in his gloriemur. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 44.) Quod autem dictum est, *Experient in faciem eius,* significavit eos qui præsentiam gratiæ eius respiciunt. Item tamquam colaphis eum cadunt qui ei honores suos præferunt; palmas in faciem eius dant qui perfidia cæcati, eum non venisse affirmant, tamquam præsentiam ejus exterminantes, & repellentes.

(1) *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 3. cap. 6.) Inter prædictas Domini contumelias trina negatio Petri facta est, quam non omnes Evangelistæ eodem ordine narrant. Lucas enim explicat prius tentationem Petri, tunc demum

(1) *Al. omittitur eis.* (2) *Al. venationem* invenientes, ita &c. (3) *P. Nicolai* legit nisi ut &c. (4) *Habet Nicolai* posteaquam rediit, dixerunt ei ancilla, & ille alius quem Lucas commemorat.

contumelias Domini; sed *Matthæus*, & *Marcus* eas primo commemorant, & deinde Petri tentationem. Sic enim hic sequitur: *Petrus vero sedebat foris in atrio. Hieronymus* (super *Petrus autem foris sedebat.*) Foris sedebat, ut videret exitum rei, & non appropinquabat Jesu, ne ministris aliqua suspicio nasceretur. *Chrysostomus* in hom. 86. Et qui quando detentum Magistrum vidit solum, ita efferebat ut gladium evaginaverit, & auriculam absciderit, quando contumelias Christi audivit, negator efficitur, & vilis puella minas non sustinet: sequitur enim: *Et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galileo eras. Rabbanus.* Quid sibi vult quia prima eum prodit ancilla, cum viri magis eum potuerint recognoscere; nisi (3) quod iste sexus peccare in nece Domini videretur, ut ejus passione redimeretur? Sequitur: *At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis.* Palam coram omnibus negavit, quia se manifestare expavit: quod dicebatur se nescire respondit, quia pro Salvatore adhuc mori noluit. *Leo* Papa in sermone de Passione (serm. 9. prope fin. illius.) Ob hoc autem, sicut apparet, hesitantem permisus est, ut in Ecclesiæ Principe remedium penitentiam conderetur, & nemo auferet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec beatus Petrus potuisset evadere. *Chrysostomus* in hom. (86. aliq. à princ.) Non solum autem semel, sed & secundo, & tertio negat in brevi tempore: unde sequitur: *Excunte autem eo januam, vidit eum altera ancilla, & ait his quæ erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno.* *Augustinus* de Conf. Evang. (Lib. 2. cap. 6.) Intelligitur autem quod postquam exiit foras, cum jam semel negasset, gallus cantavit primum, quod *Marcus* dicit. *Chrysostomus* in hom. 86. Ut ostendat quod neque vox galli eum à negatione detinuit, neque in memoriam suæ promissionis reduxit. *Augustinus* de Concor. Evan. (Lib. 3. cap. 6.) Non autem foris ante januam iterum negavit, sed cum redisset ad focum: neque enim exierat, & foris eum vidit altera ancilla; sed cum exiret, eum vidit; idest, cum surgeret, & exiret, animadvertit, & dixit *his qui erant ibi,* idest qui simul aderant ad ignem in atrio: *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Ille autem qui foras exierat, hoc auditu regressus est, ut se quasi purgaret negando. Vel quod est credibilis, non audivit quod de eo dictum fuerat eum foras exiret, & (4) posteaquam rediit, dictum est ei quod *Lucas* commemorat.

Sequitur: *Et iterum negavit cum juramento,*

Quia

Quia non novi hominem. Hieronymus (super *Et iterum negavit cum juramento.*) Scio quosdam pio affectu erga Apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum hominem negasse, non Deum; & esse sensum: Nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prorsus lector intelligit: si enim iste non negavit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat, *Ter me negabis. Rabbanus.* In hac autem negatione Petri (1) dicimus, non solum abnegare Christum qui dicit eum non esse Christum, sed qui cum sit, negat se esse Christianum. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 6.) Nunc jam de tertia negatione inspiciamus: sequitur enim: *Et post passum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Vere & tu ex illis es: Lucas autem dixit cap. 22. „ Intervallo „ facti quasi horæ unius: „ & ut eum convincent, consequenter adiungunt: *Nam & loquela tua manifestum te facit. Hieronymus* (super *Vere & tu ex illis es.*) Non quod alterius sermonis esset Petrus, aut gentis externæ: omnes quippe Hebræi erant, & qui arguebant, & qui arguebantur: sed quia unaquæque provincia, & regio habeat proprietates suas, & vernaculum loquendi sonum vitare non possit. *Remigius.* Vide autem quam sint noxia pravorum hominum colloquia: ipsa quippe coegerunt Petrum negare Dominum, quem prius confessus fuerat esse Dei Filium: sequitur enim: *Tunc cepit detestari, & jurare, quia non novisset hominem. Rabbanus* (super hoc verbo.) Nota, quia primum ait, *Nescio quid dicis;* secundo cum juramento negat; tertio quia cepit detestari, & jurare, quia non novit hominem. Perseverare quippe in peccato dat incrementum scelerum; & qui minima spernit, cadit in majora. *Remigius.* Spiritualiter autem per hoc quod Petrus ante primum galli cantum negavit, illi designantur qui ante Christi resurrectionem non credebant eum esse Deum, & ejus morte turbati. Per hoc autem quod post galli cantum negavit, illi designantur qui utramque Domini naturam, & secundum Deum, & secundum hominem errant. Per primam autem ancillam designatur cupiditas; per secundam carnalis delectatio;*

per illos qui astabant, demones intelliguntur: his enim trahuntur homines ad Christi negationem, *Origenes* (tract. 35.) Vel per primam ancillam intelligitur synagoga Judæorum, qui frequenter compulerunt denegare fideles; per secundam congregatio Gentium, qui etiam persecuti sunt Christianos; per tertios stantes in atrio, ministri hæresum diversarum. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. quæst. 45.) Tertiam etiam Petrus negavit, nam & error hæreticorum de Christo, tribus generibus terminatur: aut enim de divinitate, aut de humanitate, aut de utroque falluntur. *Rabbanus* (super *Et continuo gallus cantavit.*) Post tertiam autem negationem sequitur galli cantus; & hoc est quod subdit: *Et continuo gallus cantavit:* per quem Doctor Ecclesiæ intelligitur, qui somnolentos increpans ait: *Evigilate iusti, & nolite peccare.* 1. Corinth. 15. Solet autem sacra Scriptura sæpe meritum causarum per statum designare temporum: unde Petrus, qui media nocte peccavit, ad galli cantum penituit: unde sequitur: *Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Hieronymus* (super *Tunc cepit detestari.*) In Evangelio legimus, quod post negationem Petri, & galli cantum respexit Salvator Petrum, & intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocavit: non enim fieri poterat ut in negationis tenebris permaneret quem lux respexerat mundi: unde & hic sequitur: *Et egressus foras, flevit amare.* In atrio enim Caiphas sedens non poterat agere penitentiam: unde foras egreditur de impiorum consilio, ut pavidæ negationis sordes amarum fletibus lavet. *Leo* Papa (serm. 9. de Passione.) Felices, o Apostole sancte, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Assuit enim dextera Domini Jesu Christi, quæ labentem te priusquam (2) deieceris exciperet; & firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Cito itaque ad soliditatem rediit (3) Petrus, tamquam recipiens fortitudinem, ut qui tunc in Christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret, sed constans permaneret.

(1) Forte discimus. (2) Al. deciperis, & firmitatem standi, &c. (3) Al. Petra.

CAPUT XXVII.

(2) **M**ANE autem facta, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinculum adduxerunt enim, & tradiderunt Pontio Pilato præfidi. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, penitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, &

senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit.

(b) Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum in figuli in sepulchram peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati, quem appreciaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

(c) Jesus autem stetit ante præsidem, & interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus, Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta ad verum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum; ita ut miraretur præses vehementer.

(d) Per diem autem solemnem convenerat præses populo dimittere unum vincitum quem voluissent. Habebat autem tunc unum vincitum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis. Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & iusto illi: multa enim passa sum hodie per vestrum propter eum. Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populo ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dicit illis præses: Quid vultis faciam de Jesu qui dicitur Christus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justis hujus; vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

(e) Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, congregaverunt ad eum universam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus; & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

(f) Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvarie locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere.

(g) Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleteretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes servabant eum. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris.

(h) Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reedificas; salva te metipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis, & senioribus dicebant: Alios salvos fecit; seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel es, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult: dixit enim, Quia Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

(i) A sexta autem hora tenebre factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam: & circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli Eli, lama sabachthani; hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

(k) Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo usque deorsum; & terra mota est, & petra scissa sunt, & montana aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Jesum, visis terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicens: Vere Filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multe à longe, quæ secutæ erant Jesum à Gallia, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joseph mater, & mater filiorum Zebedæi.

(l) Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum.

(m) Altera autem die, quæ est post parasceve, convenerunt principes sacerdotum, & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordari sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nobis error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: ite, custodite, sicut scripsit. Illi autem abeuntes manerunt sepulchrum; signantes lapidem cum custodibus.

(n) **A**ugustinus de Conf. Evang. (Lib. 3. cap. 7.) Contexturat superius Evangelista narrationem in his quæ cum Domino acta sunt usque ad mane; sed postea rediit ad narrandam Petri negationem; qua terminata rediit ad mane, ut inde cetera contexeret: & hoc est quod dicitur: *Mano autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Jesum, ut eum morti traderent.* Origenes (tract. 35.) Durantes per montem extinguere ejus doctrinam, & fidem apud eos qui crederent in eum, quasi in Filium Dei. Talia autem contra eum consilantes alligaverunt Jesum solventem à vinculis: unde sequitur: *Et vincitum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præfidi.* Hieronymus (in princip. Comm. ad cap. 27. Matth.) Vide solitudinem sacerdotum in malum: tota nocte vigilarunt ut homicidium facerent; & vincitum tradiderunt Pilato: habebant enim hunc morem ut quem adjudicassent morti, ligatum judici traderent. Rabbanus (hoc loco.) Attamen notandum, quod non tunc primum ligaverunt, sed mox comprehensum in hortu, ut Joannes declarat. Chrysostomus in hom. 86. Ideo autem cum non occulte interfecerunt, quia volebant ejus glorie detrudere: multi enim eum admirabantur; & propter hoc studuerunt publice & coram omnibus eum occidere, & ideo ad præsidem eum duxerunt. Hieronymus (super Tunc videns Judas.) Videns autem Judas Dominum adjudicatum morti, primum retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum immutata sententiam: unde sequitur: *Tunc videns Judas, qui tradidit eum, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus populi, dicens: Pecca-*

vi, tradens sanguinem justum. Origenes (tract. 35.)

Respondeant mihi qui de naturis quasdam fabulas introducunt; unde & quod Judas agnoscens peccatum suum dixit: *Peccavi, tradens sanguinem justum*, nisi ex bona plantatione mentis, & seminatione virtutis, quæ seminata est

(r) in qualibet rationali anima? quam non coluit Judas; & ideo cecidit in tale peccatum. Si autem naturæ poenitens est aliquis hominum, magis hujus naturæ fuit Judas. Et si quidem post resurrectionem Christi hoc dixisset Judas, forsitan erat dicendum, quoniam compulsi eum poenitere de peccato ipsa virtus resurrectionis. Nunc autem videns eum traditum esse Pilato, poenituit: forsitan recordatus quæ frequenter Jesus dixerat de sua resurrectione futura. Forsitan & fatans, qui ingressus in eum fuerat, præsto fuit ei donec Jesus traderetur Pilato; postquam autem fecit quod voluit, recessit ab eo; quo recedente poenitentiam capere potuit. Sed quomodo vidit Judas quoniam condemnatus est? Nondum enim à Pilato fuerat interrogatus. Forsitan dicit aliquis, quoniam consideratione mentis suæ vidit exitum rei ex eo quod traditum aspexit. Alius autem dicit, quoniam quod scriptum est, *Videns Judas quia condemnatus est*, ad ipsum Judam refertur: tunc enim sensit malum suum, & intellexit se condemnatum. Leo Papa (serm. 1. de Passione Dom.) Dicendo tamen, *Peccavi, tradens sanguinem justum*, in impietatis suæ perfidia persistit, qui Jesum non Dei Filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem, etiam inter extrema mortis suæ pericula credidit; cujus flexisset misericordiam, si ejus omnipotentiam non negasset. Chrysostomus in hom. 86. Vide autem quoniam poenitentiam agit, quando completum est, &

(1) *Al, in omni rationabili anima.*

finem accepit peccatum: non enim permittit diabolus eos qui non vigilant, videre malum antequam perficiant.

Sequitur: *At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris.* Remigius. Ac si dicant: *Quid ad nos pertinet si iustus est? Tu videris;* id est, opus tuum quale sit manifestabitur. Quidam autem conjunctim voluerunt legere hæc verba, ut sit sensus: Cujus affirmationis deputatis apud nos, qui eum quem tradidisti, iustum confiteris? *Origenes* (tract. 35.) Recedens (1) autem ab aliquo diabolus observat tempus iterum; & postquam cognoverit, & ad secundum peccatum induxerit, observat etiam tertiæ deceptionis locum. Sicut ille qui primo uxorem patris habuit, de hoc malo postea pœnituit; sed postea diabolus voluit hæc ipsam tristitiam exaggerare, ut ipsa tristitia abundantior facta absorberet tristitiam. Simile aliquid factum est in Juda: postquam enim pœnituit, non servavit cor suum, sed suscepit abundantiorē tristitiam à diabolo sibi submissam, quia voluit eum absorbere: unde sequitur: *Et abiens, laqueo se suspendit.* Si autem locum pœnitentiæ requisisset, & tempus pœnitentiæ observasset, forsitan invenisset eum qui dixit *Ezech. 33.* „Nolo mori, tem peccatoris.“ Vel forte existimavit prævenire magistrum moriturum, & occurrere ei cum anima nuda, ut confitens, & deprecans misericordiam mereretur; nec vidit quia non convenit servum Dei seipsum expellere de hac vita, sed expectare Dei iudicium. *Rabbanus.* Suspendit autem se laqueo; ut se ostenderet cælo, terræque profum. *Augustinus* de Quæst. nov. & vet. testam. (quæst. 94.) Sed occupatis principibus sacerdotum ad necem Domini à mane usque ad horam nonam, quomodo Judas eis retulisse pretium sanguinis quod acceperat, ante crucem Domini, probatur, & dixisse illis in templo, *Peccavi, quod tradiderim sanguinem iustum;* cum conflet, omnes principes, & seniores ante passionem Domini non fuisse in templo, quippe cum in cruce positus insultarent ei. Nec enim inde potest probari, quia ante passionem Domini relatum est, cum sint multa quæ ante facta probantur, & novissima ordinantur. Sed ne forte post horam nonam factum sit, ut videns Judas occisum Salvatorem, & ob hoc velum templi scissum, terram tremuisse, faxa scissa, elementa conterrita, ipso metu correptus doluerit. Sed post horam nonam occupati erant, ut existimo, senio-

(1) *Al.* Recedente autem ab aliquo diabolo.

Ex edit. P. NICOL. (a) Nempe serm. 328. de tempore, qui secundus in die Cæne annotatur, & inscribitur de Juda Ischariote; sed rejectus in appendicem de diversis, ubi notatur serm. 48. nec Augustini putatur esse, sed Maximi, cujus in Operibus invenitur.

res, & principes sacerdotum ad celebrationem paschæ; sabbato autem secundum legem non licet nummos portare: ac per hoc non est probabile apud me quo die, immo tempore, laqueo vitam finiret Judas.

(b) *Chrysostomus* in hom. 86. Quia principes sacerdotum noverant, quod occisionem emerant, à propria conscientia condemnati fuerunt; & ad hoc ostendendum subdit Evangelista: *Principes autem sacerdotum accepit argentum, quia pretium sanguinis est.* Hieronymus (super Principes sacerdotum.) Vere culicem liquantes, & camelum glutientes: si enim ideo non mitterent pecuniam in corbonam, hoc est gazophylacium, & dona Dei, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguinis effunditur? *Origenes* (tract. 35.) Videbant autem quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conveniebat expendi quæ pretium sanguinis erat. Sed quia & inter loca mortuorum sunt differentie, usi sunt pretio sanguinis Jesu ad comparationem agri figuli alicujus, ut in eo peregrini sepeliuntur, non secundum votum suum in monumentis paternis: unde sequitur: *Confilio autem invito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* Augustinus in serm. de Cæna Domini. (a) (serm. 2. inter serm. vero est 128.) Providentia autem Dei factum puto ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumptum præberet, sed peregrinis requiem subministraret; ut jam exinde Christus & vivos sanguinis sui passione redimat, & mortuos pretiosa passione suscipiat. Pretio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in Scripturis, quod totius generis humani salus redempta sit in sanguine Salvatoris. Ager ergo iste, mundus hic totus est. Figulus autem qui mundi possit habere dominatum, ipse est qui vascula corporis nostri fecit de limo. Istius itaque figuli ager Christi sanguine emptus est: peregrinis, inquam, qui sine domo, & patria, toto orbe exules jactabantur, requies Christi sanguine providetur. Istos autem peregrinos esse dicimus devotissimos Christianos, qui renuntiantes sæculo, nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt: sepultura enim Christi nihil aliud est quam requies Christiani: „consepulti enim sumus (sicut ait Apostolus, totus Rom. 6.) cum illo per baptismum in morte.“ Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, & tamquam hospites in hac luce verisum. *Hieronymus* (super Concilio invito.) Qui etiam

etiam peregrini eramus à lege, & Prophetis, prava Judæorum studia suscepimus in salutem. *Origenes* (tract. 35.) Vel peregrinos dicimus qui usque ad finem extranei sunt à Deo: nam iusti consecuti sunt Christo in monumento novo quod excultum est in petra. Qui autem alieni sunt à Deo usque in finem, sepulti sunt in agro figuli operantis latum; qui pretio sanguinis est comparatus, & ager sanguinis nominatur: unde sequitur: *Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem.* Glossa. (a) Quod referendum est ad tempus quo Evangelista hoc scripsit. Deinde confirmat idem propheticum testimonio, dicens: *Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appetiati, quem appetiaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit michi Dominus.* Hieronymus (super Tunc impletum est.) Hoc in Hieremia penitus non invenitur, sed in Zacharia cap. 11. qui penultimus est duodecim Prophetarum, quædam similitudo refertur; & quamquam sensus non multum discrepet, tamen ordo, & verba diversa sunt. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 7.) Si quis ergo putat ideo fidei Evangelisti aliquid derogandum; primo novent non omnes codices Evangeliorum habere quod per Hieremiam dictum sit, sed tantummodo per Prophetam. Mihi autem hæc non placet defensio: quia & plures codices habent Hieremias nomen, & antiquiores; & nulli fuit causa cur adderetur hoc nomen, & mendositas fieset. Cur autem tolleretur, fuit utique causa ut hoc audax imperitia faceret, prædicta quæstione turbata. Potuit autem fieri ut animo Matthæi Evangelium scribentis, (1) pro Zacharia Hieremias occurreret, ut fieri solet; quod tamen sine ulla dubitatione emendaret saltem ab his admonitis qui ipso adhuc in carne vivente hæc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ Spiritu Sancto (2) regebatur, non occurrisset aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia Dominus hoc ita scribi constituit. Cur autem constituerit, prima causa est, quia sic insinuatur ita omnes Prophetas, uno spiritu locutos; mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit quam si omnium verba Prophetarum uno unius hominis ore demonstraretur; & ideo indubitanter accipi debet, quæcumque per eos Spiritus Sanctus dixit, & finit *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al.* quo Zacharia. (2) *Al.* rogabatur. (3) In Romana edit. an. 1570. *Chrysostomus*, in hom. In Veneta. 1593. *Hieronymus* in hom. cum iis quæ intra parenthesis sequuntur. (4) *Al.* qui. Ex edit. P. NICOL. (a) Quod autem subjungitur ex Glossa non occurrit. (b) Ad Pannachium epistola 101.

gula esse omnium, & omnia singulorum. Si enim hodie quisquam volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius à quo dicta sunt, qui tamen sit amicissimus illius cujus verba dicere voluit, & continuo recordatus, alium pro alio se dixisse ita se corrigat ut tamen dicat, Bene dixi, nihil aliud intuens nisi inter ambos esse concordiam; quanto magis de Prophetis sanctis hoc commendandum fuit? Est & alia causa, cur hoc nomen Hieremias in testimonio Zachariae sit manere permittitum, vel potius Sancti Spiritus auctoritate præceptum sit. Est apud Hieremiam cap. 32. quod emerit agrum à filio fratris sui, & dedit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii, quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis. Quod autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista quod modo de Domino completum est, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto quod Hieremias dicit, hinc potest mystice significari, ut non hic Zacharia nomen poneretur, qui dixit, *Triginta argenteis*, sed Hieremias qui dixit de agro empto: ut lecto Evangelio, atque invento nomine Hieremias, lecto autem Hieremias, & non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen agro empto, admoneretur lector utrumque conferre, & inde sensum enucleare prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc quod in Domino completum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus cum ait: *Quem appetiaverunt à filiis Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit michi Dominus;* nec apud Zachariam, nec apud Hieremiam reperitur: unde magis ex persona Evangelistæ accipiendum est, & mystice insertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit, & ad hanc rem quæ de Christi pretio facta est, hujusmodi pertinere prophetiam. *Hieronymus* de Optimo genere interpretandi (b) (parum ante med.) Absit ergo de pedisse quo Christi quod possit argui de falso, cui cura fuit non verba, & syllabas ancupari, sed sententias dogmatum ponere. (3) *Hieronymus* (super illud, *Tunc adimpletum est.*) Legi nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazareæ sectæ mihi Hebræos contulit, Hieremias apocryphum, in quo hoc ad verbum scriptum reperi; sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium, Evangelistarum, & Apostolorum more vulgato, (4) quo, verborum ordine prætermisso, sensus

(1) *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

tamen de veteri testamento proferunt exemplum.

(c) *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 7.) Finitis his quæ *Matthæus* de Juda proditore interposuit, ad ordinem narrationis revertitur: dicens: *Jesum autem stetit ante præsidem. Origenes* (tract. 35.) Judex totius creaturæ constitutus à Patre, vide quantum se humiliavit, ut acquiesceret stare ante judicem tunc terræ Judææ; & interrogatus est interrogationem, quam forsitan deridens, aut dubicans *Pilatus* interrogat: unde sequitur: *Et interrogavit eum præses, dicens: Tu es Rex Judæorum? Chrysostomus* in hom. 87. Id *Pilatus* interrogat quod adversarii (1) contra Christum continue revolvebant. Quia enim sciebant *Pilatum* nullam curam facientem legalium, ad publicas accusationes rem ducunt. *Origenes* (tract. 35.) Vel pronuntiative hoc dixit *Pilatus*: unde & alibi scripsit in titulo, *Rex Judæorum*. Principe ergo sacerdotum respondens, *Tu dixisti*, oblique arguit ejus dubitationem; *Pilati* vero sententiam confirmat pronuntiantis: unde sequitur: *Dicit ei Jesus, Tu dicis. Chrysostomus* in hom. 87. Confessus est se esse Regem; sed cælestem, ut in alio Evangelio manifestius legitur. „Regnum (inquit *Joan.* 18.) „meum non est de hoc mundo:“ ut neque *Judæi*, neque *Pilatus* excusationem habeant, huic accusationi insistentes. *Hilarius* (can. 32.) Vel interroganti pontifici, an ipse esset *Jesum* Christus, dixerat, *Tu dixisti*, quia semper futurum Christum ex lege ipse dixisset; huic vero legis ignaro interroganti, an ipse esset *Rex Judæorum*, dicitur, *Tu dicis*, quia per fidem præsentis confessionis salus Gentium est. *Hieronymus* (super illud, *Dixit illi Jesus, Tu dicis.*) Attende autem quod *Pilato*, qui invitus promebat sententiam, aliqua ex parte respondit, sacerdotibus autem, & principibus sacerdotum respondere noluit, indignos eos suo sermone judicans: unde sequitur: *Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 8.) *Lucas* autem ipsa crimina, quæ accusantes objecerunt, aperuit: dicit enim cap. 23. „Cœperunt illum accusare, dicentes: Hunc „invenimus subvertentem gentem nostram, & „prohibentem tributa dari *Cæsari*, & dicentem „se Christum Regem esse.“ Nihil autem interest ad veritatem quo ordine ista retulerint, sicut nihil interest si alius aliquid tacet quod alius commemorat. *Origenes* (tract. 35.) Accusatus autem *Jesum* sicut tunc illis nihil respondit; sic nec modo: non fit enim eis verbum Dei, sicut aliquando factum fuerat ad Prophetas: sed neque

(1) *Al.* contra ipsum. (2) *Al.* qui contemnit.

dignum erat ut *Pilato* interroganti responderet, qui non habebat permanens, & firmum de Christi judicium, sed ad contraria trahebatur: unde sequitur: *Tunc dicit ei Pilatus: Non audis quantum adversum te dicunt testimonia? Hieronymus*, Gentilis quidem est (2) qui condemnat *Jesum*; sed causam refert in populum *Judæorum*. *Chrysostomus* in hom. 87. Ideo autem hoc dicebat, quia volebat eum liberare, dum se excusando responderet. Sequitur: *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.* Quia enim multas habentes demonstrationes ex ipsis rebus, virtutis & mansuetudinis ejus, & humilitatis, tamen in ipsum indignabantur, & perverso judicio agebantur contra ipsum; propter hoc nihil respondet, & si aliquando respondet, brevia quidem dicit, ne continua taciturnitate pertinaciam opinio de ipso accipiat. *Hieronymus* (super *Non audis*.) Vel ideo *Jesum* nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur à præside, & crucis utilitas differretur. *Origenes* (tract. 35.) Miratus est autem præses constantiam ejus: forsitan sciens, quod idoneus esset pronuntiare crimen, & tamen vii debet eum in tranquilla, & quieta sapientia, & gravitate non turbabili stare. Sed vehementer miratur: dignum enim ei videbatur magno miraculo ut exhibitus Christus ad criminale judicium, imperturbabilis stare ante mortem, quæ apud omnes homines terribilis æstimatur.

(d) *Chrysostomus* in hom. 87. Quia Christus ad accusationes *Judæorum* nihil responderat, per quod posset eum *Pilatus* ab accusationibus *Judæorum* excusatum habere, aliud machinatur per quod eum liberare posset: unde dicitur: *Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere populo vinculum unum quem voluissent. Origenes* (tract. 35.) Sic enim quasdam gratias præstant Gentes eis quos subjugant sibi, donec confirmetur super eis jugum ipsorum; tamen consuetudo hæc aliquando fuit apud *Judæos*: *Saul* enim non interfecit *Janathan*, omni populo petente eum ad vitam. *Chrysostomus* in hom. 87. Per hanc autem consuetudinem Christum eripere tentavit, ut neque umbram excusationis *Judæi* sibi derelinquant. Manifestas homicida in comparatione Christi adducitur, de quo sequitur: *Habebat autem tunc unum vinculum insignem, qui dicebatur Barabbas.* Non simpliciter dicit *latronem*, sed insignem, hoc est in malitia diffamatum. *Hieronymus* (super *Habebat tunc unum vinculum in carcere.*) Iste *Barabbas* in Evangelio quod inscribitur juxta *Hebræos*, filius magistri eorum interpretatur, qui propter seditionem, & homicidium fuerat condemnatus.

tus. Offert autem optionem eis *Pilatus* dimittendi quem vellent, *latronem*, an *Jesum*, non dubitans *Jesum* potius eligendum: unde sequitur: *Congregatis autem illis, dicit Pilatus: Quem vultis dimittere vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Chrysostomus* in hom. 87. Quasi dicat: Si non vultis sicut innocentem dimittere, saltem condemnatum festivitatis (1) doneris. Si enim oportebat in peccatis manifestam existentem dimittere, multo magis in dubiis. Vide autem ordinem conversum. Petitiō pro condemnatis solet esse plebis, concessio autem Principis; nunc autem contrarium gestum est, Princeps enim petit à plebe, & plebs ferocior redditur. *Glossa*. (a) Quare autem *Pilatus* ad liberationem Christi laboravit, manifestat *Evangelista* cum subdit: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Reginus*. Quæ autem invidia fuerit, *Joannes* manifestat, qui narrat cap. 11. eos dixisse: „Ecce mandus totus post eum vadit, & „si dimitimus eum sic, omnes credent in „eum.“ Norandum etiam, quia loco ejus quod *Matthæus* dicit, *An Jesum qui dicitur Christus? Marcus* dicit cap. 15. „Vultis dimittere vobis „Regem Judæorum?“ Soli namque Reges *Judæorum* ungebantur, & ab ipsa unctione, Christi vocabantur. *Chrysostomus* in hom. 87. Deinde subdit aliud quod sufficiens erat omnes à passione revocare: sequitur enim: *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi, & iusto illi.* Cum demonstratione enim quæ erat à rebus & somnis non parvum quid erat: *Rabbanus*. Norandum vero, quia tribunal sedes est judicis, solium Regum, cathedræ magistrorum. In visionibus autem, & somniis gentilis vidit uxorem hoc intellexit quod *Judæi* vigilantes nec credere, nec intelligere voluerunt. *Hieronymus* (super *Sedente autem illo*.) Nota etiam, quod *Gentilibus* sæpe à Deo somnia revelantur, & quod in *Pilato*, & uxore ejus justum Dominum consentibus gentilis populis testimonium sit. *Chrysostomus* in homil. 87. Sed cuius gratia non ipse *Pilatus* somnium videbat? Quia illa magis digna erat; vel quia si *Pilatus* vidisset, non equaliter sibi credendum esset; vel forte neque dixisset: propter hoc dispensatur à Deo, quod mulier vidit, ut manifestum omnium fieret. Et non simpliciter videt, sed & patitur multa: sequitur enim: *Multa enim passa sum hodie per visum propter eum*: ut scilicet à compassione, quæ erat ad uxorem, desisteret fieri vir circa occisionem. Sed & tempus

non parum conferebat: etenim eadem nocte vidit. *Augustinus* in serm. de Pass. (b) Sic ergo *Judex* terretur in conjuge, & ut erimini *Judæorum* non præbeat in judicio consensum, pertulit in uxoris afflictione judicium: iudicatur ipse qui iudicat, & torquetur antequam torqueatur. *Rabbanus* (super *Nihil tibi, & iusto illi*.) Vel aliter. Nunc demum diabolum intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat, ita per mulierem vult Christum de manibus *Judæorum* liberare, ne per ejus mortem mortis amittat imperium. *Chrysostomus* in hom. 87. Nihil autem præmissorum Christi adversarios movit, quia eos omnino invidia excæcaverat: unde ex propria malitia plebem corumpunt; & hoc est quod sequitur: *Principes autem sacerdotum, & seniores persuaserunt populo ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Origenes* (tract. 35.) Et est videre nunc quomodo populum *Judæorum* à senioribus suis, & Judaicæ culturæ doctoribus fuedetur, & excitatur adversus *Jesum*, ut perdat eum.

Sequitur: *Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? Glossa*. (c) Respondisse autem dicitur *Pilatus*, hæc dicens, sive ad ea quæ uxor nuntiaverat, sive ad petitionem populi, qui juxta consuetudinem aliquem in die festo sibi dimitti petebat. *Origenes* (ut supra.) Turbæ autem quasi feræ, quæ spatiofam ambulant viam, voluerunt sibi *Barabbam* habere solum: unde subditur: *At illi dixerunt Barabbam*. Ideo gens illa habet seditioses, & homicidia, & atrocina, secundum quosdam gentis suæ, in rebus quæ fors habentur; secundum autem omnes; intus in anima. Ubi enim non est *Jesum*, illic lites, & prælia sunt; ubi autem est, ibi sunt omnia bona, & pax. Omnes etiam qui *Judæi* sunt similes, vel in dogmate, vel in vita, *Barabbam* sibi solvi desiderant: quicumque enim mala agit, solum est in corpore ejus *Barabbas*, Christum autem vincit; qui autem bona agit, Christum habet solum, *Barabbam* vincit. Voluit autem *Pilatus* pudorem tantæ iniquitatis eis incutere: unde sequitur: *Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu qui dicitur Christus? Non solum autem hoc, sed & mensuram colligere volens impietatis eorum. Illi autem nec hoc erubescunt, quod *Pilatus* *Jesum* Christum esse confitebatur, nec modum impietatis servant: in quo sequitur: *Dicunt omnes, Crucifigatur*: in quo*

(1) *Al.* dimittat.

Ex edit. P. Nicol. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec alibi occurrit. (b) Nihil tale in sermonibus qui nunc extant, sed inter *Chrysostomi* sermones, & est serm. 3. ser. 5. in Cæna Domini. (c) Nec in Glossa quæ nunc est, nec alibi occurrit.

multiplicaverunt impietatis suae mensuram, non solum homicidam postulantes ad vitam, sed etiam justum ad mortem, & ad mortem turpissimam crucis. *Rabbanus*. Pendentes. siquidem in ligno crucifixi, clavibus ad lignum pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur, & diu vivebant in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Veram Judæi de morte pessimam cogitabant, sed à Domino, non intelligentibus eis, electa erat: ipsam enim crucem diabolo superato erat tamquam trophæum in frontibus fidelium positurus. *Hieronymus* (super *Quid igitur faciam de Jesu?*) Cum autem hoc responderent, non statim acquievit, sed juxta suggestionem uxoris, quæ mandaverat, *Nihil tibi, & justo illi*, ipse quoque respondit: unde sequitur: *At illis preses: Quid enim mali fecit?* Hoc dicendo Pilatus, absolvit Jesum. Sequitur: *At illi magis clamabant dicentes, Crucifigatur: ut impleretur quod in Psalmo 21. dicitur: „Circumdederunt me tænes multi, congregatio malignantium obsedit me:“ & illud Hieremæ cap. 12. „Facta est mihi hereditas, mea sicut leo in silva: dederunt super me voces suam.“* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 8.) Sæpius autem Pilatus cum Judæis egit, volens ut dimitteretur Jesus: quod paucissimis verbis testatur *Matthæus* cum subdit: *Videns Pilatus quia nihil proficiebat, sed magis tumultus fieret: quod non diceret, nisi multum ille conatus fuisset: quamvis taceret quoties hoc tentavit ut erueret Jesum furori eorum.*

Sequitur: *Accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justit huius. Remigius.* Mos enim erat apud antiquos ut cum vellet quis se ostendere immunem ab aliquo crimine, accepta aqua, lavaret manus suas coram populo. *Hieronymus* (super *Videns Pilatus quod nihil proficeret.*) Pilatus ergo accepit aquam juxta illud propheticum *Psal. 25. „Lavabo inter innocentes manus meas:“* quodammodo in hoc constans, & dicens: Ego quidem innocentem volui liberare: sed quoniam seditio oritur, & rebellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur, innocens sum à sanguine justit huius. Judex ergo qui cogit contra Dominum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, justum esse pronuntians eum qui crucifigendus est. Sequitur, *Vos videritis, quasi dicat: Ego minister legum sum; vox vestra sanguinem fundit. Sequitur: Et respondens*

(1) *Al. deest igitur.*

Ex edit. P. Nicol. (a) Quod subjungitur ex *Augustino*, est *Chrysostomi* eo loco qui jam antea notatus est.

universus populus dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Perseverat usque in præsentem diem hæc imprecatio super Judæos, & sanguis Domini non auferetur ab eis. *Chrysostomus* in hom. 88. Intuere autem & hic Judæorum multam insaniam: eorum enim impetus, & perniciosa concupiscentia non permittit eos quæ oportet, inspicere, & sibi maledicunt, dicentes: *Sanguis ejus super nos; quin & ad filios maledictionem attrahunt dicentes: Et super filios nostros.* Sed tamen misericors Deus eorum sententiam non firmavit; sed ex eis, & eorum filius suscepit qui penitentiam egerunt: etenim & *Paulus* ex ipsis fuit, & multa millia eorum qui in Hierosolymis crederunt. *Leo* Papa in serm. 8. de Pass. Excessit ergo Pilati culpam facinus Judæorum; sed nec ipse evasit reatum, qui reliquit proprium judicium, & in crimen transivit alienum: sequitur enim: *Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* *Hieronymus* (super *Tunc dimisit illis.*) Sciendum est autem Pilatum Romanis legibus ministrasse, quibus sancitum est ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur. Traditur (1) igitur Jesus militibus verberandus, & illud sanctissimum corpus, pectusque Dei capax flagellis secuerunt. *Augustinus* in serm. de Pass. (a) Ecce Dominus aptatur ad verbera, ecce jam cæditur: rapit sanctam curam violentia flagellorum; repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt. Proh dolor! jacet extensus ante hominem Deus, & supplicium patitur rei in quo nullum peccati vestigium potuit inveniri. *Hieronymus.* Hoc autem factum est ut quia scriptum erat *Psal. 31. „Multa flagella peccatorum,“* illo flagello nos à verberibus liberemur. In lavacro etiam manuum Pilati, Gentilium omnia opera purgantur, & ab impietate Judæorum nos alieni effimur. *Hilarius* (can. 33.) Hortantibus autem sacerdotibus populus Barabbam elegit, qui interpretatur patris filius, in quo arcanum futuræ infidelitatis ostenditur, Christo Antichristum peccati filium preferendo. *Rabbanus* (super *Tunc dimisit illis Barabbam.*) Barabbas etiam, qui seditiones faciebat in turbis, dimissus est populo Judæorum, idest diabolus, qui usque hodie regnat in eis; & idcirco pacem habere non possunt.

(e) *Augustinus* de Con. Evang. (lib. 3. cap. 9.) Post accusationes Christi, consequens est ut ipsam Domini passionem videamus, quam *Matthæus* sic incipit: *Tunc milites præfatis suscipien-*

tes Jesum in pretorio, congregaverunt ad eum universam cohortem. *Hieronymus* (super *Tunc milites præfatis.*) Quia enim Rex Judæorum fuerat appellatus, & hoc ei scribæ, & sacerdotes crimen objecerant, quod sibi in populo Israel usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant chlamydem coccineam pro rufo linteo, quo Reges veteres utebantur, & pro diademate imponant ei coronam spineam, pro sceptro regali dent calamum, & adorent quasi Regem: & hoc est quod subditur: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 9.) Per hoc autem intelligitur Marcum dixisse indutum putputa. Proregia enim purpura chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat; & est rubra quadam purpura cocco similima. Potest etiam fieri ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. *Chrysostomus* (in hom. 88.) Quæ igitur erit nobis cura de reliquo, si contumelias ab aliquo patiamur, postquam Christus hoc passus est? Etenim quod fiebat in Christum, ultimus terminus contumelie erat; nec una particula tantum, sed universum corpus patiebatur injurias: caput per coronam, & arundinem, & collaphos; facies, quia inspueratur; genæ, quia alapis credebantur; corpus totum per flagella, & quia denudatum est per circumdationem chlamydis, & per fictam adorationem; manus per arundinem, quam dederunt ei pro sceptro; ac si timerent ne aliquid prætermitterent gravissimæ præsumptionis. *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 9.) Apparet autem *Matthæum* recapitulando ista commemorasse, non quod tunc factum sit, cum eum Pilatus crucifigendum tradidisset. Joannes enim antequam diceret, quod eum Pilatus crucifigendum tradiderit, ista commemoravit. *Hieronymus* (hoc loc.) Nos autem omnia hæc intelligamus mystice. Quomodo enim *Caiphas* dixit, Oportet unum hominem mori pro omnibus, nesciens quid diceret; sic & isti quodcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus, sacramenta tribuebant. In chlamyde coccinea, opera Gentium cruenta sustentant; in corona spinea maledictum solvit antiquum; in calamo venerata occidit animalia; sive calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet Judæorum. (1) *Hilarius* (can. 33. ut supra.) Vel *S. Thom. Oper. Tom. VIII.*

(1) *Al. Hieronymus ubi supra. P. Nicolai* omittit. Vel aliter. (2) *Al. omne* deinde nostrum, (3) *P. Nicolai* legit in cocco colore. (4) *Al. omittit* per.

Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in *Glossa* quæ nunc exiat, nec in *Anselmo*; sed nec apud alium Interpretem occurrit.

aliter. Susceptis omnibus corporis nostri infirmitatibus à Domino, (2) omnium deinde martyrum, quibus regnum secum erat debitum, sanguine (3) cocci colore perfunditur, spinis quoque, idest concupiscentium quondam peccatorum Gentium, coronatur: est enim aculeus in spinis, ex quibus Christi victoria corona contexitur. In calamo vero earundem Gentium infirmitas, atque inanis manu comprehensa firmatur: quia etiam capiti ejus, illiditur, ut infirmitas Gentium manu Christi comprehensa etiam in Deum, Patrem, qui caput ejus est, conquiescat. *Origenes* (tract. 35.) Vel calamus mysterium fuit, quod priusquam crederemus, considebamus in virga arundinea *Aegypti*, vel *Cajus* cumque regni contrarii Deo, quem accepit, ut triumphet eum in ligno Crucis. Percutiant autem cum hoc calamo caput Christi Jesu, quoniam semper regnum illud verberat Deum Patrem caput Salvatoris. *Remigius.* Vel aliter (4) per chlamydem coccineam caro Domini designatur, quæ rubra dicitur propter sanguinis effusionem; per spineam coronam susceptionem peccatorum nostrorum, quia in similitudinem carnis peccati apparuit. *Rabbanus* (super *Et exuebant in eum.*) Calamo igitur Christi caput percutiant qui divinitati ejus contradicentes, errorem suum auctoritate Sanctæ Scripturæ, quæ calamo scribitur, confirmare conantur. Spuunt in faciem ejus qui præsentiam gratiæ illius verbis execrandis respiciunt, & Jesum in carne venisse denegant. *Fal-so* autem illum adorant qui in eum credunt, sed perveris actibus despiciunt. *Augustinus* de Quest. Evang. (Lib. 2. quest. 51.) Quod autem Dominum in passione exuerunt veste propria, & induerunt fucata, signati sunt heretici, qui eum dicunt verum corpus non habuisse, sed fictum.

(f) *Glossa.* (a) Postquam Evangelista commemoravit ea quæ ad illusionem Christi pertinent, nunc narrare incipit processum crucifixionis ipsius: unde dicitur: *Et postquam illi serunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis suis, & duxerunt eum ut crucifigerent.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 3. cap. 9.) Hoc autem in fine factum esse intelligitur, cum jam duceretur ad crucifigendum, postquam scilicet Pilatus tradidit eum Judæis. *Hieronymus* (super *Postquam illi serunt ei.*) Notandum autem, quod quando flagellatur Jesus, & conpuitur, non habet propria vestimenta, sed ea quæ propter peccata nostra vespersat; cum au-

O 5

tem crucifigitur, & illusionis pompa præterierit, tunc pristinas vestes recipit, & proprium assumit ornatum, statimque elementa turbantur, & creatori dat testimonium creatura. *Origenes* (tract. 35.) Et de clamide quidem scriptum est, quoniam denno expoliaverunt eum; de corona autem spinea nihil tale Evangelistæ scripserunt, ut jam non sine spine nostræ antiquæ, postquam semel eas à nobis abstulit Jesus super venerabile caput suum. *Chrysostomus* in serm. de Pass. (a) Non autem voluit Dominus pati sub tecto, non in templo judaico, ne putares pro illa tantum plebe oblatum; & ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune, quod totius terræ est oblatio, quod commune est purificationi; & hoc signatur cum dicitur: *Exeuntes invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret Crucem ejus.* *Hieronymus* (super *Exeuntes invenerunt*.) Ne quis autem putet huic loco Evangelistæ Joannem historiam esse contrariam: ille enim dicit, exeuntem Domino de prætorio portasse Crucem suam; *Matthæus* autem refert, quod invenerunt hominem Cyrenæum, cui imposuerunt Crucem Jesu. Sed hoc intelligendum est, quod egrediens de prætorio Jesus, ipse portaverit Crucem suam; postea obviam habuerunt Simonem, cui portandam Crucem imposuerunt. *Origenes* (tract. 35.) Aut egressi quidem angariaverunt Simonem, appropinquantes autem ad locum in quo eum fuerant suspensuri, imposuerunt Crucem & ipsi, ut ipse eam portaret. Non fortuito autem angariatus est Simon; sed secundum dispositionem Dei ductus est ad hoc ut Evangelica Scriptura dignus inveniretur, & ministerio Crucis Christi. Non solum autem Salvatorem conveniebat accipere Crucem suam, sed & nos conveniebat eam portare, salutarem nobis angariam adimplentes: nec tamen sic profecisset nobis eam accipere, sicut cum ipse (1) eam accepit. *Hieronymus*. Mystice (2) Christum suscipiunt nationes, & peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris. *Hilarius* (can. 33.) (3) Indignum enim Judæis erat Christi Crucem ferre, quia fidei Gentium erat in reliquum, & Crucem accipere; & compati. *Remigius*. Iste enim Simon (4) non erat Hierosolymita, sed peregrinus, & advena, scilicet Cyrenæus: Cyrenæ enim civitas est Lybiæ. Interpretatur autem sicut *Matthæus* testis fidei: & quod idem *Matthæus* ait, *Noluit bibere*; hoc *Marcus* dixit, *Non accepit*. Tacuit etiam, quod gustavit;

(1) *Al. deest eam.* (2) *Al.* Mystice enim Crucem suscipiunt. (3) *Al.* Indignus enim Judæus erat. (4) *Al. deest non.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive in homilia de Crucē, & Latrone, cujus initium est *Hodierna die Dominus noster.*

dendo factus est civis sanctorum, & domesticus, & heres Dei. *Gregorius* in hom. (in *Evang.* 32.) & Lib. 8. *Moral.* cap. 30.) Vel aliter per Simonem, qui crucem Dominicam in angariam portat, designantur abstinentes & arrogant, quia per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interitus non requirunt; unde idem *Simon* Crucem portat; sed non moritur, quia abstinentes & arrogant per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium gloriæ mundo vivunt.

Sequitur: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvaria locus.* *Rabbanus*. Golgotha enim Syrum nomen est, & interpretatur Calvaria. *Hieronymus* (super *Venerunt in locum*.) *Audivi* quædam exposuisse Calvariæ locum, in quo sepultus est Adam; & ideo sic appellatum; quia ibi antiqui hominis sit conditum caput. Favorabilis interpretatio, & mulcens autem populi, nec tamen vera. Extra urbem enim, & foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, & Calvariæ, id est decollatorum, sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Jesus, ut ibi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Adam vero sepultus juxta Ebron, & Arbee, in Jesu filii Nave volumine legitur. *Hilarius* (can. 33.) Locus autem Crucis talis est, ut positus in medio terræ, ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset æqualis.

Sequitur: *Et dederunt ei vinum vivere cum felle mixtum.* *Augustinus* de Concor. *Evang.* (Lib. 3. cap. 11.) Hoc *Marcus* ita narrat cap. 15. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum.* Fel quippe pro amaritudine *Matthæus* posuit; myrrhatum enim vinum amarissimum est: quamquam fieri possit ut fel, & myrrha vinum amarissimum redderent. *Hieronymus* (super *Et dederunt ei acetum bibere*.) Amara vitis amarum vinum facit; quo potant Dominum Jesum, ut impleatur quod scriptum est *Psalm.* 67. *Dederunt in cibum meum fel.* Et Deus loquitur ad Hierusalem *Hier.* 2. *Ego te plantavi vineam, veram; quomodo facta est in amaritudinem, vitis alienæ?*

Et cum gustasset, noluit bibere. *Augustinus* de Con. *Evang.* (Lib. 3. cap. 11.) Quod autem *Marcus* ait loc. cit., *Et non accepit*, intelligitur, non accepit ut biberet; gustavit autem, sicut *Matthæus* testis fidei: & quod idem *Matthæus* ait, *Noluit bibere*; hoc *Marcus* dixit, *Non accepit*. Tacuit etiam, quod gustavit;

quod autem cum gustasset noluit bibere, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit. *Hilarius* (can. 33.) Vel ideo oblatum vinum felle admixtum bibere recusavit: non enim æternæ gloriæ incorruptione peccatorum amaritudo miscetur.

(g) *Glossa*. (a) Præmissis quomodo Christus ad locum passionis est ductus, hic Evangelista ipsam passionem profertur, genus mortis exponens, cum dicit: *Postquam autem crucifixus est, Augustinus* in lib. 83. *Questionum* (quest. 25.) Sapiencia quidem Dei hominem ad exemplum quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea quæ non sunt metuenda non metuere. Sunt autem homines qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum mortis genus recte viventi homini metuendum esset, illius hominis Cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inrer omnia genera mortis, illo genere execrabilis, & formidabilis. *Augustinus* in serm. de Passione. (b) Quantum autem valeat virtus Crucis, adverteat sanctitas vestra. Contempsit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum; sed quicquid Adam perdidit, Christus in Cruce invenit. De diluvio aquarum humanum genus arca lignæ liberavit: de Ægypto Dei populo recedente, Moyses mare virga divisit, Pharaonem prostravit, & populum Dei redemit. Idem Moyses lignum in aquam misit, & amaram aquam in dulcedinem commutavit. Ex lignea virga de spiritali petra salutaris unda profertur, & ut Amalech vinceretur, circa virgam Moyses, expansis manibus extenditur: & lex Dei Arce Testamenti creditur lignæ: ut his omnibus ad lignum Crucis, quasi per gradus quosdam, veniatur. *Chrysostomus* in serm. de Pass. (c) Ideo & in excelso ligno non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundetur; sed & terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis filtratione mundata. *Glossa*. (d) Lignum etiam Crucis significare videtur Ecclesiam in quatuor mundi partibus diffusam. *Rabbanus* (super *Postquam crucifixus est*.) Vel secundum morale sensum, Crux per suam latitudinem significat hilaritatem operantis, quia tristitia angustias facit: latitudo enim Crucis est in transverso ligno, ubi signatur manus; per manus autem opera intelligimus. Per altitudinem autem, cui caput adjungitur, significatur expectatio retributionis de sublimi justitia Dei;

Longitudo autem qua totum corpus extenditur, tolerantiam designat: unde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum autem quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfiguratur. *Hilarius* (can. 33.) Sic ergo in ligno vite cunctorum salus, & vita suspenditur: unde dicitur: *Postquam autem crucifixus est, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* *Augustinus* de Con. *Evang.* (Lib. 3. cap. 12.) Hoc breviter à *Matthæo* dictum est; *Joannes* autem distinctius explicat quemadmodum gestum est, cap. 20. *Miles*, lites (inquit) cum crucifixissent eum accepertunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. *Erat* autem tunica inconsutilis. *Chrysostomus* (in hom. 88.) Notandum ergo, quod non parva hæc abjectio Christi erat: quasi enim circa dehonoratam, & omnium vilissimum in Christo hoc agebant; in latronibus autem nihil tale operati sunt. Dividere enim vestimenta in condemnatis valde vilibus, & abjectis fit, & nihil aliud habentibus. *Hieronymus* (ubi supra.) Hoc autem quod circa Christum gestum est, in *Psalm.* 22. fuerat prophetatum: & ideo sequitur: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Sequitur: *Et sedentes servabant eum, scilicet milites.* Diligentia militum, & sacerdotum nobis profuit, ut major, & apertior resurgens virtus appareat; Sequitur: *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus Rex Judæorum.* Non possum autem digne admirari pro rei magnitudine; quod emptis falsis testibus, & ad seditionem clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam invenuerat causam interfectionis ejus, nisi quod Rex Judæorum esset: & illi forsitan illudentes, ridentesque hoc fecerunt. *Remigius*. Divinitus autem procuratum fuit ut talis titulus super caput ejus poneretur, ut per hoc Judæi agnoscerent quoniam nec etiam occidendo facere poterunt ut eum Regem non haberent: per mortis enim patibulum non amittit imperium, sed potius corroboretur. *Origenes* (tract. 35.) Et princeps quidem sacerdotum, secundum litteram legis, portabat in capite suo sanctificationem Domini scriptam; verus autem Princeps sacerdotum, & Rex Jesus in Cruce quidem habet scriptum: *Hic est Rex Judæorum*; ascendens autem ad Patrem, pro litteris, & pro nomine quo nominatur, habet ipsum Patrem. *Rabbanus*. Quia enim Rex simul, & sacerdos

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nec in Glossa quæ nunc est, nec alibi occurrit. (b) Ex serm. 2. de Parasceve citat Milleloquium; sed nihil tale ibi colligitur; simile quiddam ex serm. de Serpente ante festum 3. post Dom. 4. Quadragesimæ sed non iisdem verbis, quæ nec occurrunt. (c) Sive in hom. de Crucē & Latrone ut supra. (d) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo, & Rabbano.